ANALECTA.

LXI. In Sophoclis Trachiniis inde a v. 351 nuntius commenta Lichae ita coarguit,

τούτου λέγοντος τἀνδρὸς εἰσήκουσ' ἐγώ,
πολλῶν παρόντων μαρτύρων, ὡς τῆς κόρης
ταύτης ἕκατι κεῖνος Εὔρυτόν θ' ἕλοι
τήν θ' ὑψίπυργον Οἰχαλίαν, Ἔρως δέ νιν
μόνος θεῶν θέλξειεν αἰχμάσαι τάδε,
οὐ τἀπὶ Λυδοῖς οὐδ' ἐπ' Ὀμφάλῃ πόνων
λατρεύματ' οὐδ' ὁ ῥιπτὸς Ἰφίτου μόρος·
ὃν νῦν παρώσας οὗτος ἔμπαλιν λέγει.

ad ultimum versum scholiastes adscripsit *τὸν ἔρωτα αὐτῆς ἀπωσάμενος τἀναντία εἶπεν ὁ Λίχας.* probaverunt hanc explicationem cum alii tum ipse etiam Hermannus. sed ut primaria sit in antecedentibus amoris notio, tamen obscurius ita dicitur, praesertim cum remotius illud amoris vocabulum non in adfectus significatione se contineat, sed dictum sit *Ἔρως μόνος θεῶν.* itaque rectius Lichas repudiare dicetur ea quae antea professus erat. hinc Erfurdtius *ὃν* in *ὅ*, commodius etiam Schneidewinus in *ἅ* mutare voluit. sed nulla opus est mutatione. *ὃν νῦν παρώσας* dicitur quasi antea non *λέγοντος* praecessisset, sed *λόγον.* nulla est autem orationis, nimirum Graecae, obscuritas: nam quod simul dicitur *λέγει* adducit nos ut *λόγον* cogitemus. non pauca similiter a Graecis dicta sunt *πρὸς τὸ σημαινόμενον.* sic in multo breviore sermonis ambitu Thucydides v 47 scripsit *τοῖς δὲ βοηθοῦσιν ἡ πόλις ἡ πέμπουσα παρεχέτω μέχρι μὲν τριάκοντα ἡμερῶν σῖτον, ἐπὴν ἔλθῃ ἐς τὴν πόλιν τὴν ἐπαγγείλασαν βοηθεῖν, καὶ ἀπιοῦσι κατὰ ταὐτά.* ubi *ἔλθῃ* positum est quasi antea non dictum esset *τοῖς δὲ βοηθοῦσιν*, sed *τῇ δὲ βοηθείᾳ.*

LXII. Ex Adonide Dionysii Athenaeus IX p. 401 hos versus adfert,

νυμφῶν ὑπὸ σπήλυγγα τὸν αὐτόστεγον
σύαγρον ἐκβόλειον εὔθηρον κλύειν
ᾧ πλεῖστ᾽ ἀπαρχὰς ἀκροθινιάζομαι.

versu primo docti homines *τὴν* scripserunt. praeterea nihil prolatum memini quo depravatissima verba possint videri esse correcta. Herwerdeno Exerc. crit. p. 77 haec, ut ait, temptare libuit,

νυμφῶν ὑπὸ σπήλυγγα τὴν αὐτόστεγον,
αἷς πλεῖστ᾽ ἀπαρχὰς ἀκροθινιάζομαι,
σύαγρον μολεῖν ἕλειον εὔθηρον κλύω.

sed eiusmodi temptamentis vereor ne ars emendandi in ludendi levitatem vertatur. praeterea ut per linguae leges sic dici potuerit, non credibile tamen est quemquam ita dicturum fuisse ubi ultro sese obferebat haec melior oratio, *αἷς πλεῖστ᾽ ἀπάργματ᾽ ἀκροθινιάζομαι.* non dicam me omnia quae in his versibus corrupta sunt pari probabilitate emendasse, sed partem certe veri adsecutus esse mihi videor cum conieci Dionysium scripsisse

νυμφῶν ὑπὸ σπήλυγγα τὴν αὐτόστεγον
σύαγρον, ἀκρόλειον εὔθηρον, κλονῶ,
ὁπλάς τ᾽ ἀπαρχὰς ἀκροθινιάζομαι.

Diodorus Siculus IV 22 *τῶν γὰρ ἐγχωρίων τινὰ κυνηγόν, ἐν τοῖς κατὰ τὴν θήραν ἀνδραγαθήμασι διωνομασμένον, ἐν μὲν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις εἰωθέναι τῶν ληφθέντων θηρίων τὰς κεφαλὰς καὶ τοὺς πόδας ἀνατιθέναι τῇ Ἀρτέμιδι καὶ προσηλοῦν τοῖς δένδρεσιν.* scholion in Aristophanis Plutum v. 944 *ἔθος ἦν τοὺς θηρῶντάς τινα ἄγραν μέρος τι τοῦ θηρωμένου, ἢ τὴν κεφαλὴν ἢ πόδα, προσηλοῦν πασσάλῳ ἐπί τινος δένδρου εἰς αὐτὴν τὴν ὕλην πρὸς τιμὴν τῆς Ἀρτέμιδος.* Rhianus Anth. Pal. VI 34 *Τὸ ῥόπαλον τῷ Πανὶ καὶ ἰοβόλον Πολύαινος Τόξον καὶ κάπρου τούσδε καθᾶψε πόδας Καὶ ταύταν γωρυτὸν ἐπαυχένιόν τε κυνάγχαν Θῆκεν ὀρειάρχᾳ δῶρα συαγρεσίας.* quo minus autem de versibus Dionysii Herwerdeno adsentiri potui eo magis, postquam cognovi, sine mora profitendum mihi est eum p. 74 praecepisse *θεούς* quod t. II p. 332 in Critiae versibus scripsi.

LXIII. Vereor ne nondum recte emendata sint quae caprarius Theocriti III 27ss. cantat,

ἔγνων πρὰν ὄκ᾽ ἔμοιγε μεμναμένῳ εἰ φιλέεις με
οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα,
ἀλλ᾽ αὔτως ἁπαλῷ ποτὶ πάχεϊ ἐξεμαράνθη.

scribebatur olim ὄκα μευ μεμναμένω, eoque pertinet recentius scholion, ὅτε σημεῖον θέλοντός μου λαβεῖν. probavit hanc explicationem Brunckius statuitque quaerendi vel periculum faciendi significationem. repetuntur haec in Thesauro Stephani t. v p. 1107, nullo quidem alio exemplo addito. neque mirum est: nam quod inepte statuitur non potest confirmari exemplis. itaque cum scholiastae et Brunckii interpretationem non posse admitti intellegerem, emendandum esse olim putavi versum Theocriti eademque Meinekii fuit sententia. nunc eam opinionem depono. nam si licet Latine dicere *cogitanti mihi an me amares* et Germanice *als ich daran dachte ob du mich liebtest* (neque negabit quisquam licere), quidni similiter Graece loqui potuit Theocritus? quaerendi significationem non ipsum illud continet μεμναμένῳ, sed nascitur ea ex addito εἰ, ut saepe fit similiter. ceterum ἔμοιγε non aptum est, ut recte scripsisse videatur Ahrens ὄκα μοι μεμναμένῳ: ipsa enim codicum menda hoc magis indicant quam quod olim scribebatur ὄκα μευ μεμναμένω. quod autem Meinekio postquam alia temptavit denique visum est scribendum esse ὄκ' ἔμοιγε δαημένῳ aut ὄκα μευ δεδαασμένω εἰ φιλέεις με, id ut esset *experienti mihi num me amares*, neque specie mutationis commendatur neque sententia verbi. scio enim fuisse qui illi verbo praeter notam et consuetam etiam experiundi vel sciscitandi significationem tribuerent, sed recte id fecisse nego. nam quod Od. xvi 316 dicitur ἀλλ' ἤτοι σε γυναῖκας ἐγὼ δεδάασθαι ἄνωγα nihil aliud est quam *iubeo te mulieres noscere*, neque inquirendi significatio isto verbo rectius attribuitur quam cum dicunt ἴσθι esse etiam *explora* quoniam Sophocles El. 40 ita loquitur, σὺ μὲν μολὼν ὅταν σε καιρὸς εἰσάγῃ Δόμων ἔσω τῶνδ' ἴσθι πᾶν τὸ δρώμενον, Ὅπως ἂν εἰδὼς ἡμὶν ἀγγείλῃς σαφῆ. neque magis in Od. xix 325 δαήσεαι aut in Orphei Lith. 312 δαήμεναι alia quam noscendi significatione dicta sunt. mox ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα consensus librorum tuetur. ex paucis enim neque fide dignis codicibus adfertur ποτιμαξάμενον πλατάγησεν quod in inpressis exemplaribus Mediolanensibus et Aldinis legitur. conmemoratur id etiam in scholiis, sed, ut Ahrens recte statuere videtur, non ab antiquo aliquo interprete, verum a Zacharia Calliergo, istis, ut videtur, exemplaribus uso. ποτιμαξάμενον passivo sensu dictum olim non nullis placuit, hodie nemo illud probabit. placere potest et placuit Meinekio quod Schneiderus scribendum esse coniecit, οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτιμαξαμένῳ πλατάγησεν. tamen repudiandum est: factum est enim

non antiquae et tralaticiae scripturae mutatione, sed coniecturae superadditur coniectura. quod veteres libri habent legit etiam Agathias, cuius epigramma (Anth. Pal. v 296) primus contulit Toupius, *Ἐξότε τηλεφίλου πλαταγήματος ἠχέτα βόμβος Γαστέρα μαντῴου μάξατο κισσυβίου, Ἔγνων ὡς φιλέεις με.* recte autem ad vetus illud *ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα* Ahrens rediit, etsi in Philologo vii p. 431 neque aptissimis exemplis firmavit neque dum interpretatur *προσήνεγκεν, ἀπέδωκεν, ἀπετέλεσεν*, unam protulit explicationem, sed duas, quarum altera falsa est, altera non adcurata. sed illecebra, quae inpacta sonum edit, rectissime dici potest inpingere crepitum. proximo versu miracula fecit Ahrens cum recepto Iuntini exemplaris sive errore sive pessimo commento scripsit *ἀλλ' αὔτως ὁμαλῶ ποτὶ πάχεος ἐξεμαράνθη*, idque in praefatione minorum quae edidit exemplarium ita explicuit, '*πῆχυς ὁμαλός*, *cubitus planus* ideoque platagonio imposito et percusso sonum non reddens.' viderint physici num fidendum sit novae isti doctrinae, quae mihi quidem absona admodum esse videtur. sed esto, non reddat sonum cubitus si planus est: nihilo minus illa absurda sunt. sic enim caprarius quod non sonuit illecebra naturali causa ipse explicare inepteque infelix signum conquerereretur. deinde *ποτὶ πάχεος* ferri nequit, licet meliores sane libri habeant *ἁπαλῶ ποτὶ πάχεος*, contra quod olim scribebatur *ἁπαλῷ ποτὶ πάχεϊ* auctoritate carere videatur. sed *ποτί* cum genetivo coniunctum a sententia abhorret, quae dativum postulat, videturque dativus in genetivum temere mutatus esse ut tolleretur hiatus. vitiosum hunc hiatum esse iudicat Meinekius p. 358: sed post iota dativi hiatus nullam habet reprehensionem multaque eius exempla Hermannus attulit in Orphicis suis; praeterea hiatus ille in Theocriti versu fit in caesura bucolica. illud autem Meinekius rectissime intellexit, caprarium cubitum suum absurde dicere *ἁπαλόν.* itaque p. 472 scribendum putat esse *ἀλλ' αὔτως ἀμαλὸν ποτὶ πάχεος ἐξεμαράνθη.* postea fuit qui *ἀταλόν* praeferret, quod minus etiam probo. si enim quaerimus quod rei maxime conveniat, adparet *αὔτως* esse *sic sine sonitu.* ea est primaria et plane necessaria sententiae pars, ad quam pertinere debebat quidquid adderetur. scribendum igitur esse existimo

ἀλλ' αὔτως ἀκαλῷ ποτὶ πάχεϊ ἐξεμαράνθη.

interpretantur vocem illam grammatici propter Homericum *ἀκαλαρρείταο βαθυρρόου Ὠκεανοῖο.* schol. Il. vii 422 *ἀκαλαρρείταο· ἡσύχως καὶ πρᾴως ῥέοντος· ἀκαλὸν γὰρ τὸ ἥσυχον λέγουσιν.* Apollonius in Lexico p. 20 27 *ἀκαλαρείτης· πρᾴως ῥέων· ἀκαλὸν*

γὰρ τὸ ἥσυχον. Etymologicum p. 44 29 *ἀκαλός. ἔστιν ἦκα τὸ ἠρέμα· ἐκ τούτου γίνεται παραγωγὸν ἥκαλος, ὡς πέμπω πέμπελος, καὶ ἄγω ἄγελος καὶ ἄγγελος, καὶ κατὰ συστολὴν ἀκαλός, ὁ ἥσυχος, ὡς ἁπαλός ὁμαλός χθαμαλός ὀξύνεται, τὸ δὲ ἥκαλος προπαροξύνεται, ὡς πάσσαλος Κόβαλος Τάνταλος. ἐκ τοῦ οὖν ἀκαλός γίνεται "ἀκαλὰ προρέων", ἀντὶ τοῦ ἡσύχως. ἐκ τοῦ οὖν ἀκαλά γίνεται ἀκαλαρρείτης, ὡς παρὰ τῷ ποιήτῃ "ἐξ ἀκαλαρρείταο βαθυρρόου Ὠκεανοῖο", ἀντὶ τοῦ ἡσύχως ῥέοντος.* particulam illam versus *ἀκαλὰ προρέων* Hesiodi esse docet Vossianus Gaisfordii codex monuitque Diltheius in Cydippa p. 40. Hesychius *ἀκαλαρείταο· ἀκυμάντου, πρᾴως ῥέοντος* et *ἀκαλόν· ἥσυχον, πρᾷον, μαλακόν.* sed memorabile est quod idem Hesychius habet *ἄκαλα· ἄψοφα, ἥσυχα,* ubi verae emendationi *ἀκαλά* inutile commentum *ἦκαλα* Schmidtius addidit. est autem *ἄψοφα* adcuratissima et verissima interpretatio: neque enim dubitabimus *ἀκαλόν* ad eandem radicem referre ex qua *ἀκέων* et *ἀκήν* nata sunt. illud autem nemo negabit, in Theocriti carmine aptissimam esse hanc significationem *τοῦ ἀψόφου.* eandem vocem Meinekius in Analectis criticis ad Athenaei Deipnosophistas p. 218 restituere vult in versibus Sosicratis. leguntur apud Athenaeum XI p. 474[a], *Σωσικράτης Φιλαδέλφοις*

> *λεπτὴ δὲ κυρτοῖς ἐγγελῶσα κύμασιν*
> *αὔρα, κόρη Σκείρωνος, ἡσύχῳ ποδὶ*
> *προσῆγε πρᾴως καὶ καλῶς τὸν κάνθαρον.*

displicuit viro eximio *καλῶς* post *πρᾴως* inlatum: quare *καὶ μαλακῶς* olim scripsit, nunc commendat *κἀκαλῶς*, quod Hesychium interpretari dicit *πρᾴως, μαλακῶς, ἡσύχως.* atqui *ἀκαλῶς* non invenitur apud Hesychium. mihi videtur neque haerendum esse in *πρᾴως καὶ καλῶς*, quod est fere *πρᾴως καὶ εὐσχημόνως*, neque *ἀκαλῶς* tuto tribui posse comico poetae. sed Theocrito *ἀκαλῷ* fidentius retribuo. Theognostus enim in Crameri Anecdotis Oxoniensibus t. II p. 45 16 haec dicit, *ἀκαλαρείτης, ὁ ἡσύχως ῥέων· ἀκαλὸν γὰρ παρὰ Σικελοῖς τὸ ἥσυχον.* Siculos cum commemoravit potest ipsum illum Theocriti versiculum in mente habuisse. ita solent grammatici Aeolicam aut Boeoticam dialectum in eis conmemorare quae in Sapphus aut Corinnae versibus legerant. ceterum non opus est ut in carmine Theocriti scribatur *ἀκαλόν.* nam cum in crepitu efficiendo non illecebrae tantum, sed bracchii etiam cui inpingebatur essent partes, potuit *πῆχυς* non minus quam *τηλέφιλον* dici *ἀκαλός.* in dis-

ponendis carminis illius pericopis nuper conplures valde alucinati sunt: sed eam rem hic persequi nolo.

LXIV. Clemens Romanus qui dicitur in Epistula ad Corinthios I 6 p. 9 Hilg. haec scripsit, si libro sane pervetusto qui epistulas illas conservavit credimus, *διὰ ζῆλος διωχθεῖσαι γυναῖκες Δαναΐδες καὶ Δίρκαι αἰκίσματα δεινὰ καὶ ἀνόσια παθοῦσαι ἐπὶ τὸν τῆς πίστεως βέβαιον δρόμον κατήντησαν καὶ ἔλαβον γέρας γενναῖον αἱ ἀσθενεῖς τῷ σώματι.* Danaides illas et Dircas ita explicat Hefelius, 'neminem latet temporibus persecutionum multos martyres ad spectacula, ad cruentos ludos, ad bestias esse damnatos, e. gr. Ignatium Antiochenum. quid mirum, si in ludis scenicis complures feminae Christianae personam Dirces induere coactae et sic morti crudelissimae traditae sunt? Dircen autem ab Amphione et fratre eius Zetho cornibus tauri alligatam fuisse fabulae tradunt. aliae virgines seu mulieres Christianorum fortasse antequam necabantur Danaidarum supplicia ad crudele plebis spectaculum subire Tartarique poenas repraesentare debebant, et sic ante necem ipsam diutius et multifarie cruciabantur. eiusmodi martyres nomine Danaidarum et Dirces tum a fidelibus tum a paganis insignitas esse dubitare vix possumus.' non tantum scaenicos ludos, sed etiam iteratum illud *Danaidarum* condonabimus theologo qui fortasse numquam legerat quae Bentleius ad Horatii *Tyndaridarum* adscripsit, at non condonabimus ineptias. neque enim crudele spectaculum, sed ridiculum et absurdum exhibuissent mulieres aquam in pertusum dolium ingerentes. non multo autem melius est quod Hilgenfeldius scribit sibi sufficere quod Christianae martyres Danaidum et Dircae cruciatus repraesentare visae sint. nam Dircae cruciatus perpeti martyres poterant fortasse dici (neque difficile est hoc doctius exornare), cum Danaidum poena, id est cum labore perpetuo et irrito, sed incruento, martyrum supplicia nullo modo poterant conparari. accedit quod scriptor harum epistularum non solet fabularum cognitionem iactare. praeterea si illud *Δαναΐδες καὶ Δίρκαι* toleramus, oratio arena est sine calce: desideratur enim *οἱονεί* vel simile quid. rectius olim emendatione opus esse intellectum est. neque enim potest dubitari quin intempestiva fabularum memoria librarium perturbaverit. probabilius aliis Davisius scribendum esse coniecit *ἁγναί τε καὶ δίκαιαι*: sed ne hoc quidam veri satis simile est. *δίκαιαι* quidem placet, quod in *Δίρκαι* mutari proclive erat postquam prius vocabulum in Danaidum nomen depravatum est: sed scribendum esse

suspicor *διὰ ζῆλος διωχθεῖσαι γυναῖκες, ἀμνίδες δίκαιαι, αἰκίσματα δεινὰ καὶ ἀνόσια παθοῦσαι.* non multum inter se litterarum specie differunt *ΑΜΝΙΔΕΣ* et *ΔΑΝΑΙΔΕΣ.* Clemens Alexandrinus Protr. § 119 p. 92 P. *αἱ τοῦ θεοῦ θυγατέρες, αἱ ἀμνάδες αἱ καλαί.* ad eandem conparationem pertinet quod Hesychius habet *ἀμνάδες, παρθένους. ἢ πρόβατα.*

LXV. Apud Boethium Phil. cons. IV 6 haec vulgo leguntur, *est alius cunctis virtutibus absolutus sanctusque ac deo proximus: hunc contingi quibuslibet adversis nefas providentia iudicat, adeo ut ne corporeis quidem morbis agitari sinat. nam, ut quidam me quoque excellentior ait,* *ἀνδρὸς ἱεροῦ σῶμα δυνάμεις οἰκοδομοῦσι.* sed Graeca verba sic scripta sunt ab aliquo homine qui litteras codicis sui, quas non poterat recte interpretari, temere mutavit. noviciorum librorum litteras conmemorare nihil attinet. ex libris duobus, uno Thuani et altero bibliothecae s. Victoris, Renatus Vallinus haec protulit *ΑΝΔΡΟC ΔΗΥΕΡΟΥ ΔΑΥΘΗΡΕC ΟΙΚΟΔΟΜΙCΑΝ*, quibuscum conspirat vetus codex bibliothecae Gothanae. pleniora Vallinus in antiquiore Thuani codice invenit, *ΑΝΔΡΟC ΔΗΥΕΡΟΥ ΔΑΤΝΑ ΑΙΘΕΡΕC ΟΙΚΟΔΟΜΗCΑΝ.* in codice bibliothecae s. Galli qui Notkeri interpretationem continet scriptum est *andros de ieras daumasa aliteres icodomeson,* supra adscripta hac interpretatione Latina, *viri autem sacri corpus virtutes edificauerunt i. munierunt,* quae Notkerus ita interpretatur, *hëiliges mánnes lîchamen hábent túgede sò geféstenôt táz ímo nîeht tárôn nemág.* eadem illa Latina explicatio etiam in aliis codicibus invenitur qui non habent *δυνάμεις,* sed perspicue *ΑΙΘΕΡΕΣ,* veluti Gothanus codex. adparet igitur antiquiori scripturae admixtam esse ex aliis libris recentioris commenti interpretationem. ex antiqua autem scriptura hunc versum eruimus,

ἀνδρὸς δὴ ἱεροῦ δέμας αἰθέρες οἰκοδόμησαν.

quis ille sit qui hunc versum protulit quemque Boethius tanta laude dignum existimavit ut Philosophiam eum sibi praeferre faceret doctiores fortasse indagabunt: ego enim nihil adferre possum paullo veri similius.

LXVI. In Plauti Milite glorioso vetus liber Camerarii inde a v. 21 haec fere praebet,

periuriorem hoc hominem si quis viderit
aut gloriarum pleniorem quam illic est,
me sibi habeto, ego me mancupio dabo:
nisi unum epytir aut apud illa ēsturiensa nebene.

in altero versu *quam illic est* reliqui etiam libri habent. remotum est nuper utpote quod esset glossema scriptumque pro eo *hercle is quidem*: hoc enim vel aliquid simile expulsum esse isto glossemate. ego vero et alibi saepe innocentissima verba partimque talia qualia ne potuerunt quidem interpretandi causa adscribi e Plautinis versibus exturbata poetaeque in dicendo ubertatem comicamque loquacitatem non recte circumcisam esse puto et hic nullam plane causam esse video cur negemus Plautum postquam ad mentiendi consuetudinem gloriationis mentionem addidit potuisse iterare conparationis significationem: neque opus erat ut apodosi, quae per se plana ac perspicua est, *hercle is quidem* vel simile aliquid adiceret. proximo versu *ego me* libri Ambrosianus et vetus Camerarii habent, sed in Camerarii libro ante *ego me* supra ab alia manu additum est *et*. contra Ursini liber *et ego* habet et deinde ab alia manu supra additum *me*. in decurtato Camerarii libro legitur *et ego me*. Ritschelius fortasse scribendum esse dicit *ego me ei*. et sane *ei* vix potuisse videtur omitti: sed paullo aliter scribendum esse puto. neque enim probo quod Ritschelius *nisi* ad hunc versum retraxit proximumque ita scripsit, *unum epityrum estur insanum insane bene*. in Ambrosiano codice Ritschelio post decem circiter litterarum spatium, quo *epityrum* .. absumptum esse putat, adparuit *pudinsanumbene*, sed ut suspicetur minus recte *pud* se interpretatum esse quod potius *tur* esset. a libri veteris Camerarii scriptura, quam supra dedimus, reliqui libri non multum discrepant: habet enim decurtatus *nisi unum epytir aut aput illa esturiens ame bene*, Ursinianus *nisi unum epytir aut apud illaesturiens ane bene*. tetigit hunc versum Varro de lingua Latina VII p. 363 Sp. verbis quae in codice Florentino ita scripta sunt, *apud plautum si unum epityra ertuer* (hoc legit Lagomarsinus, non *estuer*) *insane bene epytirum* (sic) *uocabulum est cibi quo frequentius sicilia quam italia usa. id uehementer cum uellet dicere dixit insane. quod insani omnia faciant* (sic, non *faciunt omnia*) *uehementer*. Ritschelius ut scriberet *nisi Unum epityrum estur insanum insane bene* adductus est partim Ambrosiani libri litteris, partim eo quod Varro non habet *apud illum*, quod tamen in reliquorum librorum mendis latere videtur. sed in Ambrosiano libro omnino peccatum est aliquo modo, Varro autem omittere potuit quod ad voces quas tractare volebat minus pertineret. magis mirum esset si *insanum* omisisset aut si eodem idem vocabulum casu apud Varronem et in Plautinae fabulae praeter Ambrosianum exemplaribus intercidisset. potest autem in Ambrosiano *insanum* ex *insane* factum

esse. neque quod in Nervolaria Plautus dixit *insanum valde* satis persuadet in Milite eum dixisse *insanum insane bene.* denique *apud illum* tam ad sententiam aptum ac paene necessarium est ut non sit veri simile Plautum nihil eiusmodi addidisse. sed potest *apud illum* scriptum fuisse pro alia voce cuius eadem sed paullo minus perspicua erat significatio. siquid enim licet in his versibus temptare, crediderim poetam scripsisse

periuriorem hoc hominem si quis viderit
aut gloriarum pleniorem quam illic est,
me sibi habeto, egomet *me* ei *mancupio dabo:*
nisi unum epityrum illi *estur insane bene.*

Addo alios eiusdem fabulae versiculos ita scriptos ut mihi scribendi esse videntur. in quibus quid ab aliis sumpserim docebunt commentarii Ritschelii. a rationibus enarrandis abstinui: satis enim per se videbantur esse perspicuae.

306 *nunc si indicium facio, interii;* interii, *si taceo, tamen.*
394 heu, *hercle praesens somniumst: abi intro et conprecare.*
601 *si minus cum cura aut* caute *locus loquendi lectus est.*
678 *liberae sunt aedes, liberum autem* me volo vivere.
863 *missus sum* aliquo.
883 *postquam adbibere aures meae tuae* muriam *orationis.*
888 ea ibi *inmortalis memoriast meminisse et sempiterna.*
898 *lepide hercle* ornatae incedunt.
1009 s. *quoius* sum foras Causa *egressa.*
1071 quom quae *te volt eandem tu vis.* conf. Lachm. Lucr. p. 271.
1111 s. nae *tu quidem Ad equas* fuisses *scitus admissarius.*
1261 *ita animus per oculos meos* meus *defit.*
1304 *omnia conposta sunt quae donavi:* auferat.
1328 forma enim *huius, mores, virtus animum attinuere hic tuum.*
1337 a, *fleo miser.*
1358 heu me, *quom venit mi in mentem ut mores mutandi sient.* libri *haeum quom.* de *caeu* dixit Lachmannus Lucr. p. 384. Placidus in Glossis in A littera habet *Aeu est interiectio.*
1424 *verberone etiam* an iam *amittis?*

LXVII. Plinius Naturalis historiae VIII § 182 de tauris hoc narrat, *vidimus ex imperio dimicantes et ideo monstratos rotari cornibus, cadentes excipi iterumque regere, modo iacentes ex humo tolli, bigarumque etiam curru citato velut aurigas insistere.* hic *regere* scriptum est in libro Parisino 6795 a secunda manu, prima dederat quod alii

habent *rege*. inde inepte factum est *resurgere* quod vulgo legitur. scribendum est *cadentes excipi iterumque* regeri.

Idem Plinius XI § 98 inter ea quae de insectis narrat haec habet, *volitare alii magno cum murmure aut mugitu, alii focos et prata crebris foraminibus excavant nocturno stridore vocales.* legitur *prata* etiam in libro Lavantino: nihilo minus et per se ineptum est et cum focis inepte coniungitur. sed quod nuper pro eo confidenter scriptum est *parietes* omnem mutandi licentiam excedit. scribendum est *strata*, id est pavimenta. usurpat ita strati vocabulum Vitruvius X 19.

LXVIII. Glossariis vetustis olim homines docti in explicandis et emendandis libris Latinis diligenter usi sunt et non numquam adeo praeter necessitatem: nunc saepe etiam ibi contemnuntur ubi utilitatem praebere atque ab erroribus retrahere possunt.

Livium VII 2 4 non *ludiones ex Etruria acciti,* sed *ludii, homines ex Etruria acciti* scripsisse Madvigius in praeclaris illis Emendationibus p. 140 contendit ludionisque vocabulum prorsus inusitatum esse dicit, p. 633 Latinum esse negat. nimium dicit. Dionysius Halicarnassensis Ant. II 71 haec habet, *καί εἰσιν οὗτοι τῆς πομπῆς ἡγεμόνες, καλούμενοι πρὸς αὐτῶν ἐπὶ τῆς παιδιᾶς τῆς ὑπὸ Λυδῶν ἐξευρῆσθαι δοκούσης λυδίωνες, εἰκόνες, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, τῶν σαλίων.* non potest vocem illam aliunde accepisse quam ex ore aut libro aliquo Latino. legimus autem in glossis Cyrillianis *σατυριστὴς ὁ σκηνικός ludio.* in Philoxenianarum quae dicuntur glossarum exemplari Parisino (Lat. 7651) scriptum est *ludo σατυριστής*, sed praecedit *ludibrium*, sequitur *ludicrum,* neque dubitari potest de vera nominis forma. in alio glossario vetustissimo, quod editurus sum, inter deorum nomina legitur *KOYPHTAIC* (scr. *Κουρῆτες*) *ludiones.*

Symmachus Ep. III 28 litterarum suarum tarditatis excusationem ita finit, *desine igitur animum nostrum epistularum seritate metiri, cum rebus potius quam verbis spectetur affectio.* Grutero debetur *seritate metiri:* libri *severitate mereri* habent. extitit autem nuper qui inania proferre quam certae emendationis veritatem adgnoscere mallet negaretque fingere licere nova vocabula. atqui non inauditum est seritatis vocabulum. invenimus enim in glossis Cyrilli *βραδύτης mora, remora, seritas, tarditas.*

LXIX. Apud Corippum Iohannidos III 369 inepte scribitur

magnis cumulata est arca facellis
et tamen ardor inops nunquam satiatur avaris.

absurda sunt quae Mazzucchellius ut *facellis* illud explicaret attulit. ipse memoravit Iohannem de Bonis qui in carmine quodam suo scripserit *insatur et magnus* (immo *magnis*) *cumulatà est arca sacellis.* is igitur intellexit quo verbo Corippus usus esset. atque idem Corippus de laudibus Iustini IV 334 scripsit *Augusti servans pia gaza sacelli,* ubi *gaza* neutro genere dictum non plane inauditum est: habet enim Commodianus II 13 12 *non operas facitis, non donum gazo paratis,* 30 14 *in gazo praeterea de labore mittere debes.* scriptum est *sacellos* in libris Petronii p. 204 7 Buech. neque mutandum erat in *saccellos.* in Excerptis glossis Stephani est *sacellarius* *βαλαντιοφύλαξ.* cuius vocabuli sic scripti alia exempla Cangii glossarium praebet.

LXX. Ad Thucydidis sermonem intellegendum non prodest caeca gravissimi scriptoris admiratio, neque, ut libere dicam quod sentio, anxia et operosa interpretum quorundam subtilitas numquam nocuit. multum autem prodest informare animo imaginem hominis magno ingenio magnaque sapientia praediti totamque rerum gestarum perscribendarum rationem ad artis severitatem revocantis, sed ea aetate qua prosa Atticorum oratio nondum satis exculta, rhetorum autem praeceptis modo conformari coepta erat. itaque et abutitur oratoriis artificiis novitate tum blandientibus et luctatur quasi cum sermone multaque conmittit quae excusari possunt, laudari autem et tamquam perfectae artis exempla commendari neutiquam debent. demonstrabo hic orationis quandam speciem quae mihi quidem concessam Graeco sermoni libertatem excedere videtur: certa autem res est (nam minimum bis eodem modo loquitur Thucydides), quamquam fugit interpretes, recentiores certe et quos noverim. libro I cap. 2 haec legimus *τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὖσαν ἄνθρωποι ᾤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί.* coniungunt *ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον.* quo confingunt dicendi rationem neque exemplis probatam neque per se probabilem, quam volunt significare *ab antiquissimis inde temporibus.* id cum iubemur pariter referre ad *ἀστασίαστον οὖσαν* atque ad *οἱ αὐτοὶ ἀεὶ ᾤκουν,* facere iubemur quod fieri nequit. simplicius et rectius iudicavit scholiastes cum ad *οὖσαν* adscripsit *ἀντὶ τοῦ εἶναι.* nimirum duas Thucydides orationis formas confudit, alteram hanc, *τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὖσαν,* alteram hanc, *τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον εἶναι,* quemadmodum dixit I 122 *ἢ ἐκ τοῦ πολλοὺς σφάλλειν τὸ ἐναντίον ὄνομα ἀφροσύνη μετωνόμασται,*

vi 38 *ὁ δὲ νόμος ἐκ τοῦ μὴ δύνασθαι ὑμᾶς μᾶλλον ἢ δυναμένους ἐτέθη ἀτιμάζειν.* eodem autem modo Thucydides participium et infinitivum confudit v 7, *καὶ οὐ βουλόμενος αὐτοὺς διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους βαρύνεσθαι, ἀναλαβὼν ἦγε.* dixit *καθημένους* quasi non dixisset antea *διὰ τό*, quocum congrueret *καθῆσθαι.*

Addam his ex scheda quadam Godofredi Hermanni quod placiturum esse puto eis quorum opera circa Thucydidem versatur. libro vi cap. 74 scribitur hodie *ἀπελθόντες ἐς Νάξον καὶ σταύρωμα περὶ τὸ στρατόπεδον ποιησάμενοι αὐτοῦ διεχείμαζον.* sed libri habent partim *ἐς νάξον καὶ θρᾶκας σταύρωμα*, partim *ἐς νάξον καὶ θρᾶκας σταυρώματα.* Thraces inepte conmemorantur recteque *θρᾶκας* delevit Bekkerus. remanet tamen dubitatio nisi intellegimus quo consilio *θρᾶκας* adscriptum sit. haud absurde Franciscus Portus *θρᾶκας* factum esse ex *χάρακας* idque ad *σταύρωμα* interpretandi causa adscriptum fuisse putavit. scitius et verius Hermannus intellexit latere *θώρακας*. utuntur ea voce interpretes Byzantii. scholiastes Aristophanis Vesp. 385 *δρύφακτοι γὰρ ξύλινοι θώρακες, τὰ διαφράγματα, ἢ τὰ περιτειχίσματα.* adscriptum autem plurali numero *θώρακας* plurale *σταυρώματα* commendare videtur, quo Thucydides vii 53 utitur.

LXXI. Seneca de beneficiis iv 8 deum divinamque rationem toti mundo insertam multis dici posse docet nominibus: *hunc et Liberum patrem et Herculem et Mercurium nostri putant. Liberum patrem quia omnium parens sit, quod primum inventa seminum vis est, consultura per voluptatem. Herculem quia vis eius invicta sit quandoque lassata fuerit operibus editis in ignem reversura. Mercurium quia ratio penes illum est numerusque et ordo et scientia.* scripta haec ita sunt etiam in libro Nazariano, qui in usum meum diligentissime nuper excussus est. sed intellegi nequeunt quae de Libero patre dicuntur. neque probandum est quod Haasius post *vis est* aliquid excidisse significavit. statui id posset si reliqua per se singula recte dicta essent, sed non cohaererent inter se neque congruerent. atqui absurde dicitur primum inventa esse vis seminis genitalis. nihil vero deest, sed verissime Lipsius intellexit scribendum esse *Liberum patrem quia omnium parens sit, quod* per eum inventa *seminum vis est, consultura per voluptatem.* quod plurali seminum numero Seneca utitur, eodem modo locutus est Ep. 47 10, *vis tu cogitare istum quem servum tuum vocas ex eisdem seminibus ortum eodem frui caelo, aeque spirare, aeque vivere, aeque mori?* similiter Ovidius Fast. iv 771 *sitque salax aries concepta-*

que semina coniunx Reddat et in stabulo multa sit agna meo. ipse etiam Cicero de divin. I § 94 *quid quod non intellegunt seminum vim, quae ad gignendum procreandumque plurimum valeat, funditus tolli, mediocris erroris est?* ad Senecae verba Lipsius ea adscripsit quae Augustinus de civitate dei VI 9 dicit, *Liberum a liberamento adpellatum volunt, quod mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur: hoc idem in feminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quod et ipsas perhibeant semina emittere: et ob hoc Libero eandem virilem corporis partem in templo poni, femineam Liberae.* similia Augustinus habet IV 11, ubi de Iove inter multa alia haec dicuntur, *ipse praesit nomine Liberi virorum seminibus et nomine Liberae feminarum.* VII 2 *ibi est et Saturnus propter ipsum semen, ibi Liber, qui marem effuso semine liberat, ibi Libera, quam et Venerem volunt, quae hoc idem beneficium conferat feminae, ut etiam ipsa emisso semine liberetur.* VII 3 *confert selectus Saturnus semen ipsum, confert selectus Liber eiusdem seminis emissionem viris, confert hoc idem Libera, quae Ceres seu Venus est, feminis. — Ianus seminis admissor et Saturnus seminis dator vel sator et Liber et Libera seminum conmotores vel emissores. — quod si respondetur omnium initiorum potestatem habere Ianum et ideo illi etiam quod aperitur conceptui non inmerito attribui, et omnium seminum Saturnum et ideo seminationem quoque hominis non posse ab eius operatione seiungi, omnium seminum emittendorum Liberum et Liberam et ideo his etiam praeesse quae ad substituendos homines pertinent* etc. VII 16 *Liberum et Cererem praeponunt seminibus, vel illum masculinis, illam femininis, vel illum liquori, illam vero ariditati seminum. et hoc utique totum refertur ad mundum, id est ad Iovem, qui propterea dictus est* (a Sorano) *progenitor genetrixque, quod omnia semina ex se emitteret et in se reciperet.* VII 21 *iam vero Liberi sacra, quem liquidis seminibus ac per hoc non solum liquoribus fructuum, quorum quodam modo primatum vinum tenet, verum etiam seminibus animalium praefecerunt, ad quantam turpitudinem pervenerint piget quidem dicere propter sermonis longitudinem, sed propter istorum superbam hebetudinem non piget.* hanc autem Liberi et Liberae interpretationem Augustinum certum est sumpsisse ex Varronis libris rerum divinarum. Seneca cum dicit nostros illa putare stoicos intellegit, sed potest quae profert apud eundem Varronem legisse, quem in physicis theologicisque doctrinis stoicos secutum esse constat. addo plurali numero seminum, quem Augustinus identidem repetit, usum videri etiam Varronem. ceterum animadvertendum est

Senecam vim invictam Herculis non sine significatione nominis Invicti conmemorare. quod nomen adgnoscendum erat in versu Propertii II 20 23, *at comes Invicti iuvenis processerat ultra:* errant enim qui *invicti iuvenis* coniungunt, cum aperte Hylas iuvenis dicatur et comes Invicti. nomen adgnoscendum est apud Vergilium Aen. VIII 393, *tu nubigenas, Invicte, bimembris, Hylaeum Pholumque, manu, tu Cresia mactas Prodigia et vastum Nemea sub rupe leonem.*

LXXII. In Germanici Phaenomenis inde a versu 710 haec leguntur,

fixus ut in curru trahitur sine curribus ullis
Myrtilos. haut totum cernes, non integer ipse
in caelum redit, at pars dextera mergitur undis,
vertice lucebit, teneros manus efferet haedos,
laeva Iovis nutrix umero radiabit in ipso,
proxima telluri nascetur planta sinistra,
cetera cum geminis perfecto sidere surgent.

versu primo *ut* Halmae debetur: in veteribus libris *et* scriptum est. mox in altero versu Grotius eximio acumine perspexit scribendum esse *non integer ipse:* libri habent *cum interit ipsum.* Arati haec sunt v. 716, *μοίρῃ γέ μεν οὐκ ἐπὶ ταύτῃ Ἀθρόος ἀντέλλει, δίδυμοι δέ μιν οὖλον ἄγουσιν.* sed idem Grotius eo peccavit quod in proximo versu *at* scribi iussit: poterat enim *sed* dici, *at* a sententia abhorret. scriptum est autem in libris *redit pars, rediit pars, redit et pars:* Germanico hoc reddendum est,

haut totum cernes: non integer ipse
in caelum rediet (*pars dextera mergitur undis*),
vertice lucebit.

de futuro quod est *rediet* non opus est ut multa disputem post ea quae Buenemannus Lactantii p. 476 et 1285, Lachmannus in commentario Lucretiano p. 207, Haasius Senecae t. II p. VI dixerunt. eis quae Haasius ex Senecae scriptis collegit addo versum Oedipi 504, *Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem.*

Maiore audacia utendum est in depravatissimo versu 268. scripta haec sunt,

lumine non multis plias certaverit astris,
praecipuo sed honore ostendit tempora bina,
cum primum agricolam uentus super immouet atri
et cum surgit hiems portu fugienda peritis.

codices Basileensis et Parisinus habent illud *uentus super immouet atri,* Bernensis et Einsidelensis *uentus superimminet agri.* in Leidensi Grotius invenit *uentus superimminet aestas*, quod rudem emendandi conatum prodit similiter atque quod exemplaria Bononiensia anni MCDLXXIV habent, *uentus super iminet auster.* qualis fere sententia requiratur et reliqui versus docent et quae Aratus dicit v. 265, *ὅ σφισι καὶ ϑέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο Σημαίνειν ἐκέλευσεν ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο.* non successit autem Grotio emendatio cum scribendum putavit *cum primum agricolam veniens superimminet aestas:* nam neque *aestas* latere potest in illo *atri* vel *agri* neque *superimminet* aptum est. Ioannes Henricus Vossius Arati p. 52 veri simile putavit Germanicum scripsisse *cum primum agricolae maturans imminet aestas:* aliis videbitur dissimillimum esse veri. equidem censeo scribendum esse

lumine non multis plias certaverit astris,
praecipuo sed honore ostendit tempora bina,
cum primum agricolam vernus tepor admonet *agri*
et cum surgit hiems portu fugienda peritis.

Catullus carmine 46 dixit *Iam ver egelidos refert tepores.* siquis autem miretur *admonet* mutari potuisse in *immouet*, reputandum est ut *ammirari* ita etiam *ammonere* in antiquis libris scriptum inveniri. eodem admonendi verbo in eadem Arateorum parte Cicero usus est, ***hae tenues parvo labentes lumine lucent, At magnum nomen signi clarumque vocatur Propterea quod et aestatis primordia clarat Et post hiberni praepandens temporis ortus Admonet ut mandent mortales semina terris.*** verum Cicero Aratum pressius secutus vergilias sub hiemis initium sationis admonere dicit, Germanicus verno ortu aliorum operum rusticorum et maxime praeparandae messis. utrumque coniunxit Avienus v. 614 ss. ***nam si se gurgite tollunt Vergiliae, curvas in flava novalia falces Exercere dies; si condunt aequore flammas, Tellurem presso proscindere tempus aratro.*** cum vero utrumque etiam Hesiodus coniunxerit Op. 381, *πληιάδων ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων Ἄρχεσϑ' ἀμήτου, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων*, haud sane absurde Vossius suspicatur Aratum quoque non minus messem quam arationem conmemorasse neque integros esse eius versus: sed damnum sarcire frustra studuit.

Secuntur versus non minus depravati neque qui minore audacia corrigi posse videantur (270 ss.),

quin etiam lyra Mercurio dilecta, deorum
plurimulum accepte prohs caelo nitet ante labore
devictam effigiem planta erecta quoque dextra
tempora laeva premit torti subiecta draconis.

absunt versus tres priores a codicibus Basileensi et Parisino, omnes quattuor ab Einsidelensi. *plurimulum accepte prohs* habet Bernensis, *plurimulum acceptae prohs* in Leidensi esse non tantum ex Grotii adnotatione colligitur, sed *acceptae* inde etiam Burmannus adscripsit in exemplari Syntagmatis Grotiani Gottingensi. tum *plantae erecta quoque dextra* Bernensis, *planta erectaque dextra* Leidensis. puto scribendum esse

quin etiam lyra Mercurio dilecta, deorum
multum accepta epulis, *caelo nitet ante labore*
defectam *effigiem, planta* quae *erecta* sinistra
tempora laeva premit torti subiecta draconis.

quod *multum* feci ex monstroso illo *plurimulum* aliquam veri similitudinem nanciscitur si conicimus confusa esse *multum* et *plurimum,* synonymas voces, et quod confusum erat deinde esse depravatum. *acceptaeprohs* et *accepta epulis* non tam inter se diversa sunt ut ista veri vocabuli depravatio incredibilis sit. sententia autem aptissima est. Horatius Carm. I 32 13 *o decus Phoebi et dapibus supremi Grata testudo Iovis.* conf. Il. ι 601 ss. *defectam* scribendum esse me docuerat versus 65, *haud procul effigies inde est defecta labore,* cum vidi idem adscriptum esse in exemplari illo bibliothecae Gottingensis: videtur autem Nicolai Heinsii esse coniectura. *planta quae erecta sinistra* Grotius scribendum esse vidit: falso enim ei *qua* tribuitur. puto autem Grotium recte scripsisse v. 69 *serpentis capiti figit vestigia laeva.* dissentit Aratus v. 69 s., sed conspirat conmemoratus a Grotio Hyginus Astr. ii 6.

His addo necessarias duorum versuum emendationes, alteram a Lachmanno, alteram a Bentleio factam: nam ignorari video. et Lachmannus quidem Propertii p. 232 scribendum esse vidit v. 32 *Cresia* eas *tellus aluit*, Bentleius autem Manilii p. 27 demonstravit v. 238 scribi oportere *brevius.*

M. HAUPT.